



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Deinde Bonifacius, laudatis Adelphio & Perigene quòd ceteris
Episcopis Illyricianis non consensissent, sed Rufo semper adhæsissent,
illum hortatur ad constantiam, & causas Episcoporum judicare ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

ageret Innocentius. Prior verò ejus epistola ad Rufum data erat in ipsis episcopatus ejus initiis.

V I. Honorem illum retinuit Rufus etiam sub Zozimo, Bonifacio, & Celestino successoribus Innocentij. Non extant Zozimi litteræ de ea re. Sed cum Bonifacius ad Rufum scribens doceat frequentia Romano-rum Pontificum rescripta ex apostolica sedis fonte manasse, quibus sollicitudinem Ecclesiarum per Macedoniam & Achaïam sitarum certum esse ait illi fuisse commissam, manifestum est illum, qui vices apostolicæ sedis impleverat sub Innocentio, eas quoque egisse sub ejus successore Zozimo, & ab eo quoque variis rescriptis instructum fuisse, quæ tum extabant in serinio Ecclesiæ Romanæ; præsertim cum idem Bonifacius ad Episcopos Thessalios scribens dicat se nihil novum concessisse Rufo, sed gratiam in hoc priorum esse secutum, id est, Innocentij & Zozimi decessorum suorum, à quibus auctoritatem Rufus acceperat per Illyricianas provincias. Quare cum causa Perigenis electi Corinthiorum Episcopi, sed qui antea ordinatus esset Patrensis Episcopus in eadem Achaïa, non tamen à Patrensis suscepius, ad sedem apostolicam delata fuisset à synodo illius provincie, ejus cognitionem Rufo delegavit Bonifacius, tanquam ei ad quem cura provincie Achaïæ pertinebat; ut patet ex variis Bonifacij epistolis ad eum datis.

V II. Accidit sanè hoc tempore, ut cum Rufus de quibusdam ecclesiasticæ disciplinæ capitibus consulisset Bonifacium, isteque ad ejus consulta respondisset ex auctoritate sedis apostolicæ, passus sit Rufus contradictionem à nonnullis provinciarum illarum Episcopis, dum exequi curat mandata Bonifacij. Timens verò Rufus ne infaustum hunc constitutionum pontificiarum exitum sibi imputaret Bonifacius, ut etiam occasione ista se vindicaret à contemptu Illyricianorum Episcoporum, à quibus molestiam passus erat, literas ad eum dedit, quibus & contumaciam Illyricianorum Episcoporum significabat, seque vel ex eo culpæ eximere studebat, quòd sibi semper oculis observari videretur beatissimus Petrus, cujus vices per Illyricum sibi commissæ fuerant, adeoque non ausurum se fuisse aliquid ex officio suo remittere eo præsentem. Probabilem ac sapientem exculationem admisit Bonifacius, neque imprudentiam Rufo imputans neque negligentiam, eaque occasione usus, ut illum validius excitaret ad conservandam debitam sedi apostolicæ reverentiam, vices ei suas, ut factum fuerat à superioribus Pontificibus, delegavit literis ad ipsum datis

Tom. II.

X I I I. Kal. Octobris, Monaxio V. C. Consule, id est, anno quadringentesimo decimo nono. Elegans profectò est epistola illa, & sedis apostolicæ Pontifice cum primis digna. Sic autem habet.

Dilectissimo fratri Rufo Bonifacius. Credebamus post epistolas nostras pro ecclesiasticæ discipline observatione transmissas omnibus aditum presumptionibus præcludendum, cum ad consultationem dilectionis tue præbuissemus debitum pro causarum estimatione responsum, constituentes ea debere servari quæ ecclesiastica exigit disciplina. Sed quantum nunc tue sanctitatis nobis relatio patefecit, apud plerisque valuisse quod scripsimus, apud quosdam autem admonitionem nostram inefficacem cognovimus fuisse. Nec hoc fraternitati tue possumus imputare, cum te anximum pro commissâ tibi Ecclesiarum sollicitudine & rebus & literis sentiamus. Vigilantie tue laudamus industriam; qui ne videaris tibi commissâ negligere, id non prætermittis literis indicare quod sedis apostolicæ debeat censura corrigere, hunc te Dei nostri habere professum timorem quem prudentissimo inesse convenit sacerdoti; qui tunc tibi esse poterit gloriosus, si ea quæ curæ tue commissâ sunt prodessent Ecclesiis fuerimus experti. Invenitur enim te, ut epistolis tuis ipse fideliter es locutus, beatissimus Petrus Apostolus oculis suis qualiter summi rectoris utavis officia. Nec potest tibi esse non proximus qui pastor dominicarum ovium est perpetuus constitutus, aut aliquam ubivis partem Ecclesiam non curare in quo universalis Ecclesiæ positum legimus fundamentum.

V III. Ab ea Rufi commendatione Bonifacius statim transit ad curam quæ illi injuncta fuerat à sede apostolica; simulque & certa mandata præscribit, & in laudes eorum Episcoporum exultabundus excurrit qui constitutis apostolicæ sedis ad Rufum missis debitum consensum commodaverant; quales fuerunt Adelfius & Perigenes. Te ergo, frater carissime, inquit, omnis cura respectat earum Ecclesiarum quas tibi vice sedis apostolicæ à nobis creditas recognosces; ut & prava corrigas, & dissipata componas; & si quæ inter Episcopos eventiant causa, sub divini judicij timore distinguas; ut creditis tibi à sede apostolica gubernaculis contra omnes fluctus nascentium procellarum justè & prudenter utaris. In notitiam singulorum ad quos antè jam scripsimus quem deberent traxerim custodire nostras te epistolas pertulisse dixisti; quibus debitum se commodare consensum plurimi sacerdotum sacrarum traditionum memores sunt professi; quos fraternâ caritate complexi tales esse cognoscimus cœpiscopum nostrum Adelfium vel fratrem Perigenem.

V IX. Quanam fuerint constituta Bonifacij quæ recepta non sunt à quibusdam partium illarum Episcopis Bonifacius non ex-

I ij